Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26045
Copyright: Admont, Benediktinerstift

21

Ideo si sit et malus et contingat illi habere ministerium, et si eum homines non no
runt, et deus eum novit, permittit deus baptizari per eum quem sibi tenuit potestatem.
Hoc autem Iohannes non noverat in domino. Quia dominus erat noverat, quia debebat ab ipso
baptizari noverat, et confessus est quia veritas erat ille, et ille verax missus
a veritate. Noverat hoc. Sed quid in eo non noverat? Quia sibi retenturus erat bap D. M.
tismi sui potestatem, et non eam transmissurus et translaturus in aliquem servum; sed si Nota stonem
ve baptizaret in ministerio servus bonus, sive baptizaret in ministe
rio servus malus, non sciret se ille quem baptizaret baptizari nisi ab illo qui sibi tenu
it baptizandi potestatem. Et ut noveritis fratres quia hoc in illo non noverat Iohannes,
sed hoc didicit per columbam; dominum enim noverat, sed eum baptizandi sibi potestatem
retenturum et nulli servo eam daturum nondum noverat, secundum hoc dixit: Et ego
nesciebam eum. Et ut noveritis quia hoc ibi didicit, attendite sequentia. Sed qui
misit me baptizare in aqua, ipse mihi dixit: Super quem videris spiritum descendentem
quasi columbam et manentem super eum, ipse est. Quid ipse est? Dominus. Sed iam noverat dominum.
Ergo putate hucusque dixisse Iohannem: Ego non noveram eum; sed qui me misit bap
tizare in aqua ipse mihi dixit. Quaerimus quid dixerit. Sequitur: Super quem videris spiritum
descendentem tamquam columbam et manentem super eum. Ergo dico sequentia, interim ad
tendite: Super quem videris spiritum descendentem tamquam columbam et manentem
super eum, ipse est. Sed quid ipse est? Quid me voluit per columbam docere qui me misit?
Quia ipse erat dominus. Iam noveram a quo missus eram, iam noveram eum cui dixi:
Tu ad me venis baptizari, ego a te debeo baptizari. Usque adeo ergo no
veram dominum ut ego ab eo vellem baptizari, non ut a me ipse baptizaretur.
Et tunc mihi dixit: Sine modo, impleatur omnis iustitia. Pati veni, baptizari non 55
venio? Impleatur omnis iustitia, ait mihi dominus meus. Impleatur omnis iustitia.
Doceam plenam humilitatem. Novi superbientes in futuro populo meo; no Nota bene
vi aliquos in aliqua excellentiore gratia futuros homines, ut cum viderint
idiotas aliquos baptizari, illi quia meliores se vident sive continentia,
sive elemosinis, sive doctrina, dedignabuntur fortasse accipere quod
illi inferiores acceperint. Oportet ut sanem eos, ut non dedignentur
venire ad baptismum domini, quia ego veni ad baptismum servi. Iam ergo hoc
noverat Iohannes, et noverat dominum. Quid ergo docuit columba? Quid voluit
per columbam, id est per spiritum sanctum sic venientem docere qui miserat eum, cui ait: